

Honoris trophæum, dum vir
amplissimus et præclarissimus,
dn. mag. Christier...

Agrell, Johannes Magni,

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden



Veni decoratissima & quae sapientia
Cingit & aeterno vestit honore caput
inter tot plures quod sic caritatis

Causa fuit iustus ne premeretur honor
Qualis in quibusque vitiis casti, qui vota precedunt
Et hanc studii promerere fuit
Vivegitur Rector felix admande patrono
Cujus persequitur nomen in orbe viget
HONORIS TROPHAEUM,

Dum

VIR AMPLISSIMUS ET PRÆCLARISSIMUS,

**Dn. Mag. CHRISTIERNUS
ALANDER,**

Eloquentiae Professor Celeberrimus,

Consistorii Academici Adfessor longe gravissimus,

Regiae Academiae Aboensis

RECTOR MAGNIFICUS,

Anno Milefimo Sexcentesimo supra Nonagesimum nonum,

Die 22. Junii proclamaretur, erectum.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1699



Vem decorat pietas & quem sapientia
munit,

Cingit & æterno vestit honore caput.
Inter tot plausus, quod sic mea cantat
avena,

Causa fuit justus, ne premeretur honor;
Qualemcunque viris cecini, qui vota precesque
Et laudes studiis promeruerere suis.

Vive igitur **RECTOR** felix adamande Patrone,

Cujus perpetuum nomen in orbe viget.

Splendescat coelum pellantur nubila! nostrum

Excipiant votis sidera clara ducem!

Donec eat terris Tua splendida fama subursa,

Te mea Musa suum gestit habere patrem!

*In gratisimi animi τὸν ἐπιεικῶς concitatissimo calamo
non ut debuit aut voluit sed ut potuit
deproperavit & reliquit
IOHANNES AGRELL.*



Vemadmodum contingit hominem varios fortuna novercantis ictus experiri: Ita bonarum literarum Patronos decet edere multiplicia suæ industriæ specimina. Perplexus enim artium est circumflexus, quem antequam ingenii curriculo emensus fueris, multæ devorandæ molestiæ, occulta declinanda tendicula, atque detrimentosa evitanda diverticula. Perquam sapienter, apte & decenter, de artibus & scientiis clara voce pronunciari docerique solet. tria scilicet ad earum perfectionem concurrere oportere: naturam, nempe, doctrinam, & assuetudinem sive usum. Et cetera inter comprobat idem experientia illa erudita, & per omnia secula rerum edocta magistra, nam ubi unum horum trium defuerit vel defecerit, mox disciplinarum habitus, vel destrui vel mutilari constat. Omnes proinde qui volunt adyta sapientiæ intrare, & memoriam sui longam efficere, pro desidia laborem, pro superbia & libidine continentiam & æquitatem sectantur, maximam gloriam in maximo labore ponendo; à statione sua, non sinunt se dimoveri, aut deturbari, sed eam præclaris facinoribus, vel illustrare, sese in armis exercendo, vel celebriorem reddere satagunt, ingenii vires colendo. Verum, prohdolor! quam multos natura ventri obedientes finxit, qui suam vim non in animo, sed in luxuria, non in lucubrationibus, sed somno, non in

dili-

diligentia, sed torpore & inertia ponunt, quique vitam sicut perigrinantes transigunt, vitiis potius quibusvis, quam virtutibus mancipati; quibus certe præter naturæ rationem & ordinationem, corpus ad voluptatem & delicias, anima ad onus & molestiam est. Itaque eorum vita & mors juxta est æstumanda. Verum enim vero, illi demum recte vivunt, illi jucunde genio indulgent, qui exercitiorum negotio intenti, præclarorum factorum gloriam affectant, & bonarum artium famam sibi comparare student, quorum virtus iis artibus facile retinetur, quibus initio parata est. Deus enim omnia laboribus & virtutibus vendit; itaque illi in quibus nulla bonæ indolis facies, nulla vis ingenii apparet, non inscite cum Brutis & Bestiis conferuntur, dum sensibus obvia liberius justo omittunt, imo etiam stultis æquiparari possunt, modo sensum illis detraxeris. Huc spectant Elegantissima Senecæ verba, dicentis: Vita sine literis, non vita, sed mors est, & vivi hominis sepultura. Sed quid multis? aut quid meam gratulationem laciniosis verbis devenustare conor? è re namque esse opinor, ut tandem vela gratulationis meæ contraham, & portum aliquando respiciam, rei que præsentis accommodem, cum desint verba, absint formulæ, quibus sensa gratulationis pandam. Interim tamen non possum calamum continere, quin voces quasdam gratulabundas Amplissimo Dn. Professore voti devoti plenas hodie transmittam, ut felicissimi hujus diei felicia auspicia feliciora incrementa Tibi apprecarer O quam lætus nobis hodie, quam faustus dies illuxit affulsitque! Hocce enim die Amplissimus Dominus Professor Sceptra Academica capesset, & nomine Rectoris Magnifici solenniter ornabitur, Hocce inquam die laborioso satis molestoque Academiae regimine onerabitur & gravabitur, quo clarissime rarum Tuæ virtutis decus coruscet, & singularis Tua probitas constanter omnium ore, fama que à bonis antea celebrata, in posterum celebretur & commendetur. Quod superest calidissimis votis precibusque æternum Deum veneror, ut Te, Amplissime Dn. Professor, quem in tanta dignitate & auctoritate constituit, omni benedictionum genere in hujus Academiae regimine locupletare, salvum & incolumem ab omni malo præstare & protegere omnibusque tam fortunæ, quam corporis bonis, id est vita felicissima longissimaque beare, & denique in Reipublicæ literariæ emolumentum, bonorum commodum, Tui Tuorumque decus & solatium, quam diutissime conservare Clementer dignetur! Sic toto pectore vovet, & dum vixerit, vovebit.

Ampl. Dn. Prof. & Recl. Magnif.

humilimus clientulus

AND. PREUTZ,



Aximis beneficiis Celeberrimo Professore devinctus, non potui calamum temperare, quo minus morem plane commendabilem, per tot & tanta secula usu receptum in gratulando sequerer, etsi probe sane
neve-

noverim, quam fit mihi curta supellex, prorsus enim me im-
parem sentio, suscepto oneri ferendo, multumq; me deterret
ingenii mei imbecillitas, quam recte ultro agnosco. Hec o-
mnia itaq; dum mecum perpendi, nunquam non illud Curtii
in animo repositum habui. Nihil tam alte naturam consti-
tuisse, quo virtus eniti non possit. Quibus memoratu di-
gnissimis verbis, docetur virtutem felicitatis illam auroram,
fontemque omnium bonorum, ut ut multiplici cura atq; sudo-
re acquiratur, sibi tamen amplissimam postremo mereri mer-
cedem. Nam ardua licet sit virtutis via, non tamen in via,
multas devoranti molestias. Ideo per obstacula tantum non
innumera eluctabimur, priusquam voti compotes fiamus. Nun-
quam molle virtutis documentum est, durissima quoque per-
vadit atque perrumpit, quoties sui periculum facere tentat
per ardua, per angusta, per aspera, per difficilima semet ex-
ercet, semper contra fortunam luctatur, tristibus & adversis,
quam secundis letior. Vidit quippe vir sapiens non jacere
venerandam scientiam in molli lecto, sed acri diligentia
& vigiliis, divinam hominis partem excolendam expolien-
damque esse, siquidem virtus dignitatem suam non agno-
scit, nec pristino splendori restituitur, nisi sit stipata prae-
sidio bonarum artium, & lauro Musarum comitatu. Exultat
namq; generosus animus, quamvis corporis hisce compagibus
sit implicatus: summopere tamen ea adipisci desiderat, quibus
instar alarum scalarumq; a sediti hujus sordidig; corporis in-
quinamentis (squaloribusq; evolare & conscendere queat; quod
firmissimis comprobatur argumentis rerum optima Magistra expe-
rientia. Exemplum Tu esto Mag. Dn. Rector cujus magnanima
generosaq; virtus, non contenta in secundis aut tertiis consiste-
re, sed ad doctrina fastigium eniti, arduas Tuas spes, mascu-
losq; conatus, ad altiora sapientiae adyta protrudere, ut non
immerito harum virtutum capias coronam, nitidissimo splen-
dore redimitam, quam eximia Tua virtus & sedula studiorum
cura meruit. Hic sane opus haberem eloquentia Ciceronianam,
ut eo melius magnum debiti mei pensum persolvere possem!
Ast quoniam illam careo, humilimam devotione oratum venio,
ea spe fretus, ut ex solita benignitate velis angustiores hasce
linearum oras, benignis oculorum intueri luminibus.
Pro itaque tibi gratulor animo, qui clarus titulo RECTO-
RIS novis etiam & honoribus auctus: Tibi inquam ita gra-
tulator, ut magis ex animo gratulari non possim, munus RE-
CTORATUS, siquidem Tibi deferunt Patres Lycei nostri.
Proinde DEUM TER. OPT. MAX. calidissimis suspiriis invo-
cabo, quo velit conatibus Tuis ita benedicere, Teque illuminare,
ut Tua fama eruditionis ac virtutis subiecta alis, in ultimas
tandem terrarum oras se diffundat, velit idem Deus etiam Te sal-
vum & incolumem ad Nestoreos usq; annos sustentare, quo ver-
gant in NOMINIS DIVINI gloriam, Patriae fulcimentum, com-
modum rei literariae, Tuum Tuoque Amplissima Domus splen-
dorem, & ut exantlatis hujus vite laboribus ac studiis ad
aeternitatis solium transferre velit, quod ex intimis cordis
recessibus optat & vovet!

Ampliss. Dn. Prof. & M. D. R.

Devota mente colens clientulus
SAMUEL PREUTZ.